

I. N. 3! 10

# EXERCITATIO ACADEMICA, INDIFFERENTIAM AFFECTUUM

BREVITER EXHIBENS,

Quam

Ex consensu & approbatione Ampliss: Fac. PHILoS.  
in illustri ad Auram Athenæo,

*Divina effulgente gratia,*

P RÆ S I D E

*Viro Amplissimo, & Celeberrimo Domino*

## DN. M. SIMONE TÆLPS/

Logicæ & Metaphysices Professore Ordinario,  
h. t. RECTORE Academiæ Magnifico,

*Publica bonorum ventilationi modeste submittit*

## OLAUS ISR. LEIMONTIN CALMARIENSIS.

In Auditorio Maximo ad diem 21. Junii,  
Anno M. DC. LX. XIX.

A B O X,

Excudit JOHANNES LAURENT. WALLIUS,  
Regiæ Acad. Typogr.

Mon. 16. 3. 88

Reverendissimo in CHRISTO Patri ac Domino

# M. HENNINGO SKYLLER

Inclitæ Diæcœlos Calmariensis Episcopo eminen-  
tissimo, Consistorii ejusdem Præsidi, Collegijq;  
Carolo-Gustaviani Ephoro amplissimo.

Nec non

VIRIS plurimum Reverendis & Preclarissimis Dn.

## M. ANDREÆ DASSELDBJØRNE

haut ita pridem Logiees & Metaph. in Acad. Londensi Prof. Ordin.  
jam vero in illustri, quod Aboæ est, Palladio, S. S. Theol. Profess.  
Extraord. nec non Eccl. Svec. Ab. Ecclesiastæ, Nutritio meo, ut  
propensissimo; ita qvovis obsequii officijq; cultu proseqvendo.

## M. OLAO REPLERO, S.S. Theol. in Calmariensi

Colleg. Lectori, Consistorii Adseffori, Archi-Præposito, ut & Pa-  
stori in Åby olim Præceptorи fidelissimo.

## M. BERGERO FOLCHER, Histor. & Eloq.

Rom. ibidem Lectori, Consistorii Adseffori, arcisq; Calmar. Pa-  
stori, antea itidem Præcept. indefesso.

## M. CLAUDIO FOCK, Log. & Phyl. Lectori,

Consistorii Adseffori, nec non Templi Cathedralis vice Pastori.

## M. MICHAELI VIPPERT, ejusdem Colleg.

Græcæling. Lectori, Consistorijq; Adseffori.

U: &

Perquam Reverendo & Doctissimo Viro

## DN. ISRAELI O. LEIMONTINO, Xenodochii

Calm. concionatori, parenti ut optimo; ita qvavis filiali reveren-  
tia devenerando.

## DN. JOHANNI Biérman, Curiæ Calm. No- tario, Patruo suo pl. honorando.

Mecenati, Patronis, Parenti, Promotoribus et atem suspiciendis, hanc  
dissertatiunculam, tenui liceat Minerva, conscriptā, in debitæ obser-  
vantie animiq; graticertissimū tuūmūpior, bumilime, do, dico, dedico.



Uncine primū ingenii mei, quem cernitis, scilicet eumq;  
nec satis maturum sustineremne Vestris Nominibus,  
que non nisi consummatissimum requirunt, con-  
secrare, diutinas Jane dubiasq; volvi cogitationes.  
Nec injuria. Videbar enim mihi videre illum i-  
psum longe infra Vestra in me merita locatum.  
Nec id a vero ab ludit. Et enim Tu, Reverendissi-  
me Episcope, Patrone Magne, ea & parentes meos & meipsum ample-  
xus es benevolentia, non quidem beneficio orbata, sed summis orna-  
ta; adeo ut mortalium ingratissimus haberetur, qui non ejus sal-  
tem reminisceretur, cum referendo non sit. Tu pariter Plurimum  
Reverende & Ampliss. Dn. Professor Mecænas optime, postquam hic me  
detulit benignus ille rerum humanerum moderator Deus O. M.  
informationique filiorum Tuorum dilectissimorum admovit, fate-  
ri nullus dubito, tot tantag; beneficia in me collata, ut, si cum tem-  
poris intervallo conferantur, illa ultra procedere putem. Vos itidem  
Mecanates & Promotores, ex quo adolescentiam Musis dicare capi,  
omnem, quod dicitur, lapidem movere non intermisisti, quo minus  
ad altius studiorum culmen me elevare non estis conati, semina  
menti sapientiae instillando, mox pracepeis confirmando. Tu quoq;  
earissime Paren, preterquam quod natales Tibi debeo, etiam per  
omnem vitam, ibi solum quum domesticam, verum etiam exoticam  
hausi auram, nullum paterna benevolentie pignus omisisti. Tanta  
sunt vestra in me beneficia. Verum quid pro illis referam? Vires  
desunt, voluntas sola prompta se offert. Quam hocce specimine Aca-  
demico, utue tenui, declarare animus est. Accipite itaq; Mecanates,  
Promotores & Paren dilectissime, ut soletis, hoc est, benigna serenag;  
fronc, quod animus piissimus exhibet. Ego vero calidas preces ef-  
fundere, nunquam desinam, velit Deus vobis omnibus, vitam eamq;  
in longam annorum seriem faustum, felicem, prosperam, vegetam  
concedere, donec finito hujus vita laboriosa curriculo, tandem in  
gaudia nunquam desituta intretis! Paleste!

### Reverendissimorum Vestrorum Nominum

Cultor indefessus & Filius  
obsequentissimus.  
OLAUS LEIMONTIN.

In

Virum Juvenem Virtutum elegantia literarumq; decore  
conspicuum, Praestantissimum

Dn. OLAUM LEIMONTIN,  
De AFFECTUUM INDIFFERENTIA  
proprio Marte disputaturum, Amicu  
& Commilitem apprimè di-  
lectum:



Flectus quales sint & quando Domi-  
natū.

Detrēstant rectæ rationis, qvomodo  
sint &

Cogendi, monstrat tua dislertatio prælens,  
Qvam nunc divulgas; bene succedat labor hicce!  
Vergat & in laudem sublimis Numinis opto!

L. Mq. utut occupatissimus  
Scripsit

SIMON ΣΑΩΡΩ

Met. & Log. Prof. Ord.  
h.t. Acad. RECTOR.

THES.I.



### THESS. I.

Originem & ortum pugnae Rationis & Appetitus indicabit.

[Large decorative initial letter 'O' with intricate internal patterns.]ominem in primordio rerum, rectum, id est, nulli obliquitati, nulli concupiscentiae pravae, nulli durâpeor discordia obnoxium, conditum esse, non sacra modo pagina exprimit Eccl 7.v.30, verum etiam omnes veræ & orthodoxæ Religio-  
nis patroni, præcunte illa, masculè nullo non tem-  
pore defensum iverunt, & hodieque defendere  
tenantur. Nec immerito: tum enim ne ulla quidem in eo erat rationis & appetitus sensitivi σύγεγχεις, cum & hic, ut & ejus motus, hoc est, affectus sub-  
jicirentur τῷ λογικῷ, tum qvoad excitationem, tum  
qvoad durationem, tum qvoad intentionem & re-  
missionem; sed omnium virium ssvavissimus con-  
centus, & appetitui delectabilius fuit rationis im-  
perium sequi, quam contra ductum ejus insurgere.  
At postquam per nunquā satis deplorandam, præ-  
cepti Dei positivi, de non comedendo fructu arbo-  
ris vetitæ, transgressionem, jacturam imaginis di-  
vinæ, de qua Eph. 4.v.24. fecit, tum demum ortum

A

traxit

traxit naturalis illa rationis & appetitus lucta; ita qvi-  
dem ut & hic rationi valde semper reluctetur, & af-  
fectus rationem vel antevertant, vel non raro ever-  
tant. Vide Meisner. Phil. Socr. Sect. 3. qv. 1,  
nec non 4. cap. 5. item sect. 2. qv. 2. non fuisse minus  
quam egregie hac de re disputantem. Conf. Hornej.  
lib. 1. c. 3. & l. 2. c. 4. Vendel. Sect. 2. q. 3. Nec haec  
res Arist. fugiebat quāvis ejus veræ causæ esset igna-  
rus, cum lib. 1. Eth. c. ult, ita: Rationem, inquit, sem-  
per ad optimam nos hortari; esse autem aliud qvidpiam in no-  
bis nempe Appetitum, qui rationi repugnat, non secus ac  
membrum paralyticum, quod cum dextrorum moveas,  
sinistrorum perverse fertur. Et Scalig. exercit. 307.  
fateri non dubitat, ignem aquæ non magis esse contra-  
rium quam λογικὸν τῷ ἀλόγῳ.

## THES. II.

Quanta sit affectuum vis, nim: non absoluta sed limitata,  
Et quatenus mali sint dicendi, evolvet.

Utut ita sit, inde tamen non efficitur, appeti-  
tum, ut & ejus motus in se esse malos, ut Stoici vi-  
dentur existimasse, nisi quoad excessum & defi-  
ctum, & in quantum rectæ rationi adversentur.  
Alias n. frustra foret Ethica seu morum disciplina,  
quippe quæ affectibus dirigendis corrigen disque  
(non autem evel lendis aut exstripandis, ut Stoicis  
placet) est destinata. Non quidem est negan-  
dum

dum magnam illorum esse vim, tantam tamen esse, ut aut voluntatem cogere, aut actiones nostras reddere possint invitas, id est quod negatur. Etenim si per se illud facerent, semper utique illud usu veniret. Qvare non incommode compari poterunt cum Bucephalo Alexand. M. non alium nisi Alexandrum, i. e. Rectorem industrium, patiente.

### THES. III.

*Peripateticorum & Stoicorum longè diversissima sententi-  
arum diuaria exponet.*

His ita prælibatis, proprius nos ad præfens accingimus negotium, consideraturi num Affectus sua natura sint mali dicendi? Stoicis certe non aliud magis in ore & calamo est, quam ut probent eos esse per se malos. Unde definiunt eos per pravas opiniones, judicia levitatis, animi morbos, perturbationes passionesque, sicut ex mente eorum Cicer. I.4. Tusc. Quæst. & Seneca Epistola 16. definiunt, eosque collocant in facultate cognoscente, sicut Chrysippus voluntate, in sapientemque, quem Collegam Deorum esse gloriantur, cadere negant. Et sane si sibi constaret Stoicorum sententia non est diffitendum, quin vocandi essent mali. Verum enim vero sobrie magis hac de resentient Peripatetici & Academicí, quum indif-

ferentiam illis tribuant, in appetitu sensitivo reponant, & in neminem non cadere affirment, siquidem reveratales sint, ut in animalia rationis expertia cadant, nobisq; ita sint familiares, ut nec imperium, nec Philosophia illos tollere sit potis,

#### THES. IV.

*Quid de ies sit sentendum, si naturaliter considerentur e- narrabit.*

Ut autem latius nonnihil totius rei indoles se pandat, penitus paulò in eorum naturam inquirere juvabit. Si Affectus in genere naturæ pensentur, eos bonos esse vel hinc constat: quod Animali dati reperiantur ad sui conservationem, sicut ex affectibus appetitus tam concupiscentis, quam irascentis satis patet. Dein sunt stimuli ab ipso Deo nobis inditi ad honestas actiones test. Vofio lib. 2, part. Orat. c. 2. Huc accedit, aut appetitum homini frustrà datum, vel perperam, aut motiones ejus, hoc est affectus, in malis non esse numerandos. Et quomodo quælo id poterit dici malum quod a naturali facultate prodit, quodq; in bonum tendit? Plura argumenta huc facientia habet Strateman Instit. Eth. l. 2. c. 2.

Thes.

*Quid sit statuendum de iis, si in genere morum censura  
eorum instituatur, aperiet.*

Ast Ethice seu moraliter perpensi longe aliam considerationem nobis sistunt. Tum enim indiferentes, hoc est nec boni nec mali censendi quatenus scilicet sunt actus non imperati sed per virtutem boni, a cuius norma si abeant, mali, quo longius eo peiores evadunt. Qvare idem ad affectus applicari posse arbitramur quod de fortunæ bonis testatur Terent. Heaut. a1. sc. 2. *Qui uti sit ei boni, qui non utitur recte, mali ac proinde tales sunt qualis animus qui possidet.* Unde Alcinous assimilare affectus non dubitat duobus fontibus natura profluentibus: unde si quis hauriat quantum esset cum oportet felix esse, qui plus vel minus, miser esset infortunatus. Ut ex eo notat Hornej. lib. 2. c. 8. Hinc sit, ut ab affectibus, quæ sunt affectus, i. e. nudi & simplices animi motus, nec boni, nec mali moraliter audiamus; licet haec verba cum grano salis accipienda. Sed ut redeam unde sum digressus. Sicut enim edere, bibere & loco moveri, quæ edere, bibere & ambulare (qvæ etiam actionum indifferentium nomine apud Ethicos venire solent) non est malum quid, licet edere, bibere, tempore, modo, loco &c. inconvenienti, & ire in ganeum, sit vitiosum; ita desideri-

um, odium &c. qva talia, non sunt malum quid,  
qvanqvam desiderium rei illicitæ, & odium virtutis turpitudinem involvat, qvum moralitatem actionum nostrarum, objectum maxime specificet; ita tamen ut non excludantur finis & circumstantiæ, qvæ etiam non leve momentum interdum habent. Consul. Hornej l. 2. c. 2.

### THES. VI.

*Testimonii loco Affectionem iram adducet.*

Et si negotium altiori mentis lance perpendere velimus, manifestum evadet, illos esse indiferentes. Inquiramus saltem in unius vel alterius naturam. V.G. Ira, qvanqvam sit affectus omnium vehementissimus, utpote qui rationem violenterissimo suo impetu sede sua deturbat, & vultum totumq; corpus turpissimo habitu sic doformat, ut ira correptus, a furente, solo tempore differre videatur, si rationis limites transgreditur; tamen cum secundum se spectetur, nec bona nec mala moraliter audit, sed si justa moderataq; sit, laudabilis est; Qvin & necessaria sit omnibus in Magistratu, imperio, munereq;, qualecunq; demum illud sit, constitutis. Est enim Magistratus minister & ultor Dei adiram, id est poenam Rom. 13. v. 4. omni facienti malum. Etiam lentitudo & nimia indulgentia illis vitanda, qui quo quomodo aliis

præ-

præsunt. Nam omnem disciplinam labefactat,  
latissimamq; fenestram sceleribus aperit impunitas  
peccandi. Unde *justa ira dicitur virtus quam amor*  
*gloriae Dei, pietatis, justitiae, ab omnibus exigit.* E contrario,  
si immoderata, injusta, temeraria, culpa non  
vacat. Hinc itaq; videre est, Iram, si rationis im-  
perium audit, bonam, sin minus, malam; in se au-  
tem consideratam, indifferentem censeri debere.  
Nec impedit qvod Cicer. l. l. offic. omnem iram  
in puniendo prohibeat, dicens: Eum, qvi ratus ad  
puniendum accedit, nunquam mediocritatem te-  
nere inter nimum & parum: ast id de ea quæ mo-  
dum excedit, qvæque majorem delicto penam ir-  
rogat, intelligendum. Id qvod seqventia mon-  
strant verba, ubi optat, ut qvi imperii præsunt non  
iracundia sed æquitate ad puniendum ducantur.  
Hinc obiter notandum iram & iracundiam pro-  
miscue apud scriptores sumi, cum tamen accura-  
te loquendo haut parum discriminis intersit. Er-  
enim prius vocabulum simpliciter affectum, poste-  
rius habitum vitiosum Mansuetudini in excessu op-  
positum, designat. Nec Apostolus, iram, sed ejus  
vehementiam & diuturnitatem damnat Eph 4.v.26.  
οὐ γίγνεται καὶ μὴ ἀμαρτάνεται: οὐ δὲ τὸ θητεῖτω πάντα παρεργυτό-  
μω ὑπῶν. Irascamini, hoc est si commoveamini, ex-  
ponente Glassio Philol. sacræ lib. 3. p. 353. & nolite  
pecca-

peccare; ne occidat sol super iram vestram. Quia  
& ipsi DEo bono illi absolute summo, tribuitur,  
non *ἀντιπονησίας*, quā vocabulum, cum verissimè &  
ratione infinita Deus ex justitia irascitur peccato-  
ribus & ultiōnem de iis sumit. Et tum qvidem  
vox qva humanus ejusmodi affectus exprimitur,  
prius ab omni imperfectione depuranda mente  
fidelis, atqve sic de Deo rite intelligenda est. Vi-  
deatur nominat: Glassius lib. V. Phil. fac. p. 12c.  
Irascitur, inquam, non affective, sed effective, non  
formaliter, sed virtualiter. Nec obstat illud Poë-  
tæ: ira furor brevis; cum ibi non sit definitio per-  
fecta; nec indigit iram qva talēm, sed qvæ mo-  
dum in irascendo non servat. Nec denique ferit  
nos illud Senecæ: Ira si rationem audiat non est  
dicenda ira, cuius proprium est conumacia, sed  
alio nomine esset appellanda: siquidem & iratiſi-  
bi constant & se continent, cum eos intactos in-  
columesq; dimittant, etiam tum, cum nondum i-  
ræ fervor sit sedatus. Et notum est illud Platonis:  
Vapulares nisi iratus essem. Hæc de ira sufficiant,

### THES. VII.

*Robur proximè præcedenti Thesi per metus assertionem  
addet;*

Qyoniam ex unius Testis sermone stata res non  
est, idcirco e re ducimus, si etiam alium, metum  
scili-

scil. seu timorem sub examen revocemus, & deprehendetur, non aliter cum hoc affectu, quam eum eo, de quo nobis actum, comparatum. Sic sollicitudinis **C**autionis metum esse malum nemo affirmaverit. Pro salute Patriæ Imperatorem timidum esse indecorum non aestimatur, cum tempestivus metus sit prudens securitas, & intempestivus contemptus est temeritas insidiis patens. Ita cum ultimi discriminis tempus ingrueret, Alexandri M. Herois incomparabilis fiduciam in sollicitudinem versam testatur Curt. l. 3. c. 8. lib. 4. c. 12. Idem affirmat de Iulio Cæs. Florus lib. 4. c. 2. Nec timor *civilis* qualis subditorum debet esse in Magistratum, nec *filialis*, qualis proborum liberorum in parentes, nec *naturalis* & *legalis* sua laude est fraudandus. Contra ea, protimore *diffidentia* & *servilit*, ut is etiam idem laudis mereatur, neminem pugnaturum existimo. Qualis fuit Sardanapali Regis Assyriorum, de quo Justin. lib. 1. c. 3. &c. Valer hoc in universum. Sicut enim irasci & dolere, quatenus tale quid est, mali rationem non habet; ita timeare, qua timere, malum quidpiam non est, quam irasci innocentis & dolere propter voluptatem amissam, ut & timere ubi periculum non adest, & non timere, ubi maxime opus, vitio merito vertatur. Adstipulatur huic sententiae August. l. 9.

de C. D. Iraſci peccanti ut corrigatur, contristari afflito  
ut liberetur, periclitanti timere ne pereat, nescio utrum  
quisquam ſana conſideratione reprobendaſ?

THES. VIII.

*Tefiem tertium, amorem puta, ſit et examinandum.*

Sicut Sacerdotes Ægyptii in suis Hieroglyphi-  
cis per aquas odium; ita per ignem amorem ex-  
primi voluere. Nec eſt diſſitendum ejus vim eſſe  
potentissimam. Unde tot Patrum, tot Philosopho-  
rum, tot Historicorum & Poëtarum ſententiaz par-  
tim vehementiſſimum illius impetum, partim vitia  
qvæ illum & conſeqvuntur, & concomitantur, de-  
monſtrantes, occurrunt, ut ancipitem cogitandi cu-  
ram aſterant, num qvis in ejus laudes descendere  
ſuſtineat. Verum enim vero eam dubitationem  
facili negotio bujus affectus cum ceteris ratio indo-  
lesq; eximit. Etenim amor in ſe ſpectatus, nec  
bonus, nec malus moraliter eſt, ſed per virtutem bo-  
nus, ab eādem ſi deflectit, malus fit. Qvis enim qvæ-  
ſo unq; vam amori licito, honesto, puro & non fu-  
cato (qualis reqviritur in piiſ ſubjeſtis erga ſuum  
Regem & Magistratum; in Auditoribus erga ſua-  
rum animarum Paſtores; in tribus iſtis Societatis  
Domesticæ partibus qvæ familiam conſtitu-  
unt, maritali videlicet inter maritum & uxorem:  
Paterna inter parentes & liberos (qui arctiſſimus  
eſt

est) herili inter Dominum & servos) suam laudem erit denegaturus: His addere licet amorem in patriam, qvi ut loquitur Cicero lib. i. offic. omnium omnes caritates in se complexa est. Vicissim si illicitus, dishonestus, impurus, qvis tam absurdus es- set ut ipsum non culparet? Ratio disparitatis hæc est: Si amare sequatur rectæ rationis dictamen, bonum, si non, malum qvid est: amare vero, in quantum amare, nec boni nec mali rationem accipit, Verbo: *Quemadmodum virtus ut & vitium ex animo agentis estimandum; pari quoq; modo affectus an moraliter boni vel pravi sint ex animo agentis intelligendi.* Idem de reliquis affectibus judicium esto.

### THES. IX.

*Limitationem & restrictionem Thes. V. &c. continet.*

Qvanquam ita sit ut indifferentiam Affectuum, seu quid de bonitate & malitia eorum morali sit statuendum, satis assertam putem; tamen ultima verba Theseos proximè præcedentis, cum scrupulum cuiquam non immerito injicere possint, num de omnibus in universum affectibus idem sit judicium, occasionem limitandi paragaphos nonnullos, præbuere. Qvare sciendum & probe notandum, qvod qvidam affectus ipsa statim appellatione turpitudinem aliquam involvant, quales invidia, *Amoraxia*, impudentia & similes qvi-

bus animus afficitur. Arist. I. 2. Eth. c. 6. Qvoni-  
am non notant simplices affectus & nudos animi  
motus sed affectus & actiones a ratione exorbi-  
tantes; seu non iis significantur nudi affectus, sed  
affectus & actiones cum circumstantiis conjunctæ,  
a qvibus bonitas & malitia moralis, seu honestum  
& inhonestum pendet. Rationem rei petunt ab  
actionibus humanis; Nam sicut furtum, adulte-  
rium cædes &c, non tantum sunt actiones, sed &  
actiones a tramite rectæ rationis aberrantes; ita  
nominati affectus, non affectus solum sunt, sed af-  
fectus orbitam rationis deterentes. Id qvod ad  
oculum demonstrat illorum definitio. Nam in-  
vidia nihil aliud est, qvam ægritudo suscepta pro-  
pter res alterius secundas, qvæ nihil nocet inviden-  
ti. Et *immauguratio* definitur lætitia percepta ab a-  
lienis rebus adversis; seu affectus mixtus ex odio  
& gaudio: Qvæcunq; ergo convenient in unoter-  
rio, illa ipsa inter se convenire necesse est; &  
Parum eadem est ratio. Nec affectus tantum  
ipsa appellatione vitium aliquod, sed & bonitatem  
implicant. Ut pietas liberorum in parentes, & ho-  
rum vicissim <sup>soyū</sup> in sobolem, misericordia, nemesis,  
pudor, Zelus &c. qvoniam non solum affectus,  
sed affectus cum recta ratione conjuncti sunt, vid.  
Hornej l. 2, c. 6. Strat, l. 2. c. 1. Burgerl. Ideæ Phil. mor.  
c. 8, & 11.

Thes.

*Rationem quo Peripatetici & Stoici possint conciliari, considerabit.*

Exposito, proratione instituti nostri, & affectus & actiones bene multas dari, quorum nominibus, bonitas & vitium est implicatum; superest disticipamus, quomodo conciliari & amicam transactio nem inire possint, Stoici & Peripat: siquidem non levishac de re inter eos intercedit controversia. Verū quidquid sit de ea, in verbis solū dissentunt, re verò ipsa convenientiunt. Nam Perip. affectus in se & secundū spectatoros, hoc est, quatenus sunt simplices animi motus & appetitiones, nec bonos nec malos esse in genere motum censerent: Stoici vero illos intelligunt quia recta ratione deflectunt, & sunt omnino mali, cum omnis affectus, quales sunt Stoicis, sint vitiōsi. Hinc liquet quod verbis longius quam opinione, uti solent, notante Piccolomin. gr. 1.26. ab invicem recedunt. Idcirco in quolibet affectu duo distingunt, *φαντασία*, quae mentem hominis statim prima specie rei objecta movet, & vi quadam pellit, & *συγκατάθεσιν*, qua eadem illa mens cognitam Phantasiam suo aspernū approbat. Illam dicunt esse involuntariā, ideoque nec bonam, nec malam, in sapientemq; etiam cadere: Hanc assertunt involunta riā, malam & in stulto reperi. Ex quo sequitur

non in totum Stoicos damnare affectus, sed solum  
eorum συναστάθοις, nec has omnes, sed eas tantum,  
quæ rectæ rationi sunt contrariæ & quatenus no-  
bis nimis indulgeamus. Adeatur Hornej. loc. cit.  
Burgersd. id. Phil. mor. omne discrimin in eo po-  
nit quod Stoici sapientem nullo modo ob præsens malum,  
moveri velint, Peripat. concedant moderatè moveri posse.

THESS. XI.

Duo illa magna incommoda ex non observatis observan-  
dis scaturientia complectetur.

Licet Stoici, cum de affectibus disputant, rectè  
sentiant, incommodè tamen loqvuntur, idq; dua-  
bus præcipue rationibus 1. Qvod contra quam fa-  
ciunt Peripat. qui una & appellatione & definitio-  
ne nudos animi motus designant, hi res longe di-  
stinctissimas confundunt, unaqve & appellatione  
& definitio comprehendunt & motus ipsos &  
motui adhærens vitium. A natura vitium secer-  
natur, inquit August. Hinc sit 2. qvod non distingvant  
inter motus qua motus, & motus in quantum eis  
aliqvid accidit, nimirum exorbitantia a recta ratio-  
ne. Siqvidem dantur multæ actiones hominis ma-  
læ, nulla tamen earum mala æstimanda, quatenus  
actio, siqvidem actus, qua actus, quem Physicum ap-  
pellant, non a Deo minus, tanquam causa prima &  
universali, quam ab homine est, licet non item a-  
ctus

Etus a. C. E. g. Omnia in quantum sunt, in tantum bona sunt dicente Augustino, & alibi: *Omnis natura vitiosa, in quantum natura est, bona est, in quantum vitiosa, mala.* Ita affectus non pauci dantur, qui sunt mali, at nullus eorum malus quia affectus. Qvare non ita argumentari licebit: *Omnis affectus contra præceptum rationis est malus* E. *Affectus simpliciter est aliquid malum,* Prius verum, posterius fallum. Vid. Meisn. Phil. lob. lect. 2, q. 3. Hornej. l. all. Itter. lib. 1. c. 3. Stratem, lib. 2, c. 2.

### THES. XII.

*Descriptionem indifferentiae affectuum exhibebit*

Ex his itaq; quæ dicta sunt, talis indifferentia affectuum potest extrui descriptio, quod enim sit affectio quædam, quia affectus Ethice seu moraliter nec boni nec mali sunt, sed prout subjacent imperio rationis voluntatis.

### THES. XIII.

*Causam, ob quam Coronidis loco de nonnullis affectuum remediis agitur, insinuabit.*

Dictum quidem nobis fuit Thes. 2. nostræ potestatis esse affectus moderari, nec posse eos voluntatem cogere; Attamen & antea factum, hodieq; fieri solet (quoniam de jure non ita fieri debet) ut illi ipsi extra orbitam rationis excurrant, sive præcipitantia, sive infirmitate, sive alio quopiam casu id fiat. Qvapropter operæ pretium nos factu-

facturos speramus, si remedia quædam tam generalia, quam specialia, anteqvam manum de tabula moveamus, adhibeamus, siqvidem Ethica modum illis præscribere, nec non eosdem curare debet, non secus ac Medicina ægrotum. Sunt enim vera morbi animi, ut loqvuntur Stoici, nisi Rationis habenis regantur.

#### THES. XIV.

*Remedìa generalia contra quosvis affectus facientia docebit.*

Male, inquit. Curt. l. 8 c. 2. *Natura humanis ingenii consuluit, quod plerumq; non futura, sed transacta perpendimus.* Et sane valde dolendum, qvod affectuum impetui moreni gerentes id non raro patramus, qvod, re confecta, non aliud magis infectum vellemus, cum tamen semper nobis eslet videndum ut consilium actiones potius præcederet nostras, quam pœnitentia subseqveretur. Unde Proverbium Germanicum elegans.

Thu nichz ohne Rath/ so gereuirez dir nicht nach der That.  
Qvare oportet nihil prius agamus qvidquam, quam  
Affectuum, ut plurimum, ori estreni, aureum illud  
Palladis frænum, i.e. rectam rationem, imposuerimus,  
viam quam emitiri debemus, monstraturam,  
qvid nobis faciendum, qvidque omittendum, indicaturam, facileq; effervescentes affectuum fluctus  
composituram. Secus enim fiet, ut sicut sine frænis  
indo-

indomiti eqvi; ita nec affectus absq; ea possunt  
gubernari. Dein sedula cautione opus, ne affectus  
in consilium primo vocemus, cum hi secundum  
facultatem sensitivam homini competant, sed ra-  
tionem, secundum qvam, homines sumus, audia-  
mus, ejus officium est facultates inferiores, imo  
totum hominem dirigere. Vid. Plur. Reverend.  
& Clar, Dn, Mag. Jonæ Leotz popularis mei hono-  
ratiss. elegantissima dissertatio de imper Rect, nat,  
pract. Conf, Hornejus l. i c. 3. Huic adde Senecæ E-  
pist, 95. Nec contrarius est Cicer. l. i. off. monens  
id ante omnia efficiendum, ut rationi appetitus obediatur,  
camq; neq; præcurrat, nec propter pigritiam aut ignavi-  
am deserat. Ex qvo elucebit omnis constantia omnisque  
moderatio. Hæc de remedii generalibus.

### THES. XV.

*Medelam iræ adhibebit,*

Nunc oculos mentemq; nostram vertamus ad  
pharmaca qvædam specialia & primum qvidem  
contra Irām, Licet hæc affectuum agmen claudat,  
tamen cum sit affectus omnium vehementissimus,  
perniciosissimus, pariterq; nobis familiarissimus, ut  
supra indicatum, in primis ductu virtutis eget, ne  
extra limites exerret suos. Præterqvam qvod o-  
mnino hue applicanda sunt illa remedia in Thes.  
præced. allata, non parvus tamen se offert modus

monitorum & præceptorum, tum Philosophico-  
rum, tum Poëticorum, tum aliorum Doctrina cla-  
rorum virorum. Seneca testatur, maximum iræ  
remedium esse dilationem: ut primum ejus fer-  
vor relanguescat & caligo qvæ mentem premit, aut  
residat, aut minus densa sit. Nec minorem sa-  
pientiam redolent hujus Poëtæ verba:

*Nefrano animo permitte calenti,*

*Da spatum, tenuemq; moram, furor arma ministret.*  
Athenodori consilium ad August. erat: ut iratus  
prius nihil quidquam ageret, qvam omnes Alphab-  
heti literas perlegisset. Nec ullum salubrius con-  
silium dari poterit Christianis, qvam utira stimu-  
lati, orationem dominicam recitent. Et Elegan-  
tiæ plenissima sunt iterum Doctoris e portice lapi-  
entissimi verba: ut nautæ præsentientes tempestatem,  
anchoris naves firmant: Ita priusquam ingruat tempesta  
ſracundia, ratione frangandus est animus. *E* in diversum  
nitendum. Plura heic cumulare non duco necessaria-  
tum, cum ubiq; obvia sint.

## THES. XVI.

*Violentia amoris medebitur.*

Amoris vires si spectes, etiam illas vehementissi-  
mas esse constat, adeò ut cæcus dicatur. Cujus re-  
media tria recensentur, 1. Violenta 2. Ethica 3. Phy-  
sica. Violenta ex præscripto Cleanthis, seu, ut alii,

Cratis

Cratis, sunt 1. Λιπόδε. 2. Χερός. 3. Βροχός. 2. Ethica; ut  
impudicis impurisq; cogitationibus obviam eamus,  
in ipsa herba extingvamus, principiis obstemus, oc-  
casiones fugiamus, & qvod primas obtinet, ut piis  
precibus assiduisq; laboribus invigilemus, & omni-  
præsentiam divinam timeamus. Qvæ omnia Hie-  
ron. hoc versu Elegiaco est complexus:

Ores, casta legas, jejunes, otia vites;

& servare voles, corpora casta DEO,

Et usu tritum est illud:

Otia si tollas periere cupidinis arcus,

Contemtagve jacent & sine luce faces,

Si vero ita contigeret, ut ne hac quidem ratione  
flammæ libidinis extingverentur. Ecce Tibi Phy-  
sica: Lactuca propter frigus insitum, & siccitatem.  
Ruta item ad sedandam Venerem magnopere  
commendatur.

Adde Rosæ florem, minuuntq; potenter amorem.  
vid. Scholam Salernit. cap. 13. & 20.

### THES. XVII.

Nonnullis pariter affectibus pharmaca Ethica brevissimis  
præscribet.

Non in alio magis Monstro qvam Hydra Lernæa  
domanda laborasse Herculem perhibetur, per qvam  
invidiam significare voluere. Est enim vitium ma-  
xime commune ac pervulgatum, & semper invi-  
dia glo-

dia gloria comes. Sed attende quænam egre-  
gia præmia manent invidos:

*Invidus alterius rebus macrescit opimis.*

*Invidia Siculi non invenere Tyranni*

*Tormentum majus - - -*

Teste Horat. l. 2. Epist. Nec contrarium est illud:  
Invidiæ justius est nihil, quæ protinus ipsum Au-  
ctorem perimit excruciatq; suum. Huic assentitur  
qvidam ex Comicis: sibi hostis ipsi, redditur vir  
invidus. Cui addas illud Curt. l. 8. c. 5. *Odium restin-*  
*gvet freqvens nostræ mortalitatis memoria & ru-*  
*minatio. Audaciam compescunt hæc monita: esse*  
enim Audaciam alienam a viro sapiente; & audere  
multa, in multis nos labi facere, *Tristitiam excutiet*  
illud Proverb. 12. *spiritus tristis exsiccat ossa. Eccl. 30.*  
multos occidit Tristitia, nec ulla utilitas, in ea. Plura  
testimonia hoc spectantia adducere nec libet, nec  
licet, cum omnium oculis obversentur. Qvare fi-  
nem imponimus huic dissertationculæ his verbis:

O Sancta Trias! quæ appetitum, qui erat conformitas cum ca-  
stitate, puritate & *ἀναρκείᾳ* Tua, nobis indidisti, fac nihil appeta-  
mus, quod sanctissimæ Tuae voluntati aduersetur! Fac itidem, ut  
singulare illud Tuum donum, Recta ratio, affectus ita nostros regat,  
ne eam obsuscent, suffocent, extingvant. Dirige gressus nostros in  
media Regiaq; virtutis via, donec tandem periculosisimo hujus mun-  
di pelago superato, difficultatumq; Icopulis post tergum reli-  
ctis, in portu felicitatis æternæ feliciter sub-  
sistamus!

CUI SOLI GLORIA!

*Honorus H. Scobagh.*